



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu

Schwertfer, Wenzel

Pragæ, 1673

Caput XIX. Quâ ratione cum difficilioribus suæ curæ subjectis egerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43132

in caligine, tenere seriem consequentiarum, quæ carent fundamento. *Tertius* ex uno facto etiam inculpabili & excusabili, conficere universales propositiones, & ad criminationes planè posse descendere. *Quartus*. Non credere bonis consilijs; habere suspecta omnia, quòd excusetur alter, vana esse solatia & hujusmodi &c.

C A P U T XIX.

Qua ratione cum Difficilioribus suæ curæ subjectis egerit.



VT Difficilioribus careret, cavebat summè nè otiosos domi suæ, quantumvis debiles, vel ætate, fractiores haberet. Sicut verò debilibus, virium refectionem ad paternam charitatem suggererat, ità relictis otij cujusvis osor, prudenter occupationem inveniebat. Dicebat enim, otium omnem virtutem labefactare, cum semper in pejus pronus sit sensus, nisi à ratione exerceatur, & honestis curis occupetur. Et ideo vel coràm, vel per litteras aptam cuivis occupationem, scriptionem, compositionem, aut aliã actionem, nè talenta jacerent suffosa, destinabat; cum nihil optatiùs in hac vita accidere nobis possit, quàm rectè agere pro DEI gloria, & in DEI servitium totas quas habemus reliquas vi-
res

res conferre, nihil ad nostrum commodum detorquendo. In quo maximè suo exemplo alios instruebat, vir semper cum DEO & pro DEO laboriosus. utque id ipsum alij suo exemplo præstarent, adhortabatur, promittens ità futurum ut quisquis alienæ virtutis Author esset; juxta illud suprâ relatum ex Bernardo: Non quales de Convers. ad clericos. sint alij, sed quales ex vobis fiant, quantum in vobis est, cogitate. non solummodo qui modo sunt, sed qui post, futuri sunt, quos in proposito sancto estis habituri imitatores: ex vobis enim, ex vestro exemplo, & vestrâ authoritate in Religione hac pendere debet tota posteritas.

Quod si necessariam aliquam medicinam adhibendam esse judicaret ægro in spiritu Religioso, eam citra omnem respectum admovebat, effusos præsertim coercendo, & intractationi ad collectionem spiritûs addicendo. memor dicti S. Leonis Papæ, qui *Inferiorum ordinum culpas, ad Epist. 31. nullos magis referendas esse, quàm ad desides, inquit, negligentésque Rectores, qui multam sæpè nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam.*

Si quos autem nactus esset *violentos*, sive ob naturam nondum ad virtutem formatam, sive illam, quæ impatiens curæ ac formæ, rumpi solet ac deficere à vocatione, variam operam, ut diligens Medicus adhibebat. In Pervicacibus

analogi,

Q

corri-

corrigendis, utebatur hâc praxi; 1. commen-
 dabat illos Angelo suo Custodi & illorum, & eos
 agere sinebat, ac patienter expectabat, dum lo-
 queretur, moneret, & nihil ipse proficeret
 2. dicebat DEO: ecce, DEUS optime, mihi
 monenti, regenti, resistitur, non obeditur, non
 persuadeo. nempe video quàm nihil possim! Osi
 quid boni efficiatur, tuum erit! tibi laudem
 omnino referam omnem, nihil indè decerpam.
 Domine mi, mea quæso peccata tuam in alios
 Bonitatem non impediunt. nec idèd ò suavissime
 DEUS, res hâc minùs feliciter cedat, quia illi
 me peccatorem applicui: quod peccavi ego,
 non fecit alius. misericordiæ tuæ abyssus infini-
 ta, miserix meæ rivulis non exarescat.

Contra *Dyscolos* subditos, & in omnia Su-
 perioris acta malignè censuranda attentos, hac
 arte ad eos in ordinem redigendos, uti consue-
 verat. Primò, quoad suam personam, ita se
 moderatè, prudenter, ordinatè & religiosè gere-
 bat, ut nihil ex passione, omnia ex præscripto
 Regularum agere videretur, & nemo prudens
 posset aliquid carpere. *Deinde*, dyscolis pro sin-
 gulis erratis & defectibus comissis, infallibilem
 pœnitentiam publicam imponebat, eamq; sen-
 sim augebat & iterabat, quoties ipsi repetebant
 defectum. faciebátq; ut seridò intelligerent, Su-
 periorū fortitudinem non cessaturam resistere
 insolent-

insolentiæ, donec se ad formam & normam Religiosæ vitæ rectè componerent.

Si, quibus bene fecisset, experiretur *Ingratos & difficiles*, nunquam querulabatur, sed advertibat eos esse homines, & confirmabatur in suo principio Religioso, ut totaliter se in DEO fundaret, nè esset necesse, humanas consolationes quærere. Duplici exemplo in solatium usus. 1. DEI, qui cùm nobis in omnibus optimè faciat, tamen ei pro gratitudine referimus peccata & offensas. 2. secularium ducentium malas conjuges, à quibus per vitam non possunt separari, coguntur trahere Crucem non propter DEUM. quantò magis superior pro DEO & in causa DEI ferat malos & protervos nonnunquã & ingratos subditos, quorum etiam despectibus, quivis prælatus, præfectusq; alijs, saginari debet? solabatur imò seipsum, conabatúr; sibi coram DEO satisfacere illo principio: Etsi Angelica opera præstarem, nunquam satisfaciam omnibus; nec æqualibus qui more vulgi per incidentias loquuntur & judicant de rebus; nec superioribus aliquando; qui ex malis informationibus res benè factas improbabunt. Nisi autem hoc solatium in DEO quæratur, conficimus nos, & gratis. tribus imò inveniendam pacem: si non placeo; si superiores, æquales, subditi, mea acta

Q 2 non

non probent; si obruar varietate occupationum
& difficultatum.

Contra *turbationem animi* & ^{rum} *murmurationes* ad-
versus Superiores, hoc antidotum ac remedium
præscribat. Monendos esse ejusmodi turba-
tos homines, nè sua gravamina passim effutiant,
apud eos, qui non possunt juvare. dum enim sic
passim queruntur, tria damna incurrunt. *Pri-
mum*; nomen hominis imprudentis, quòd ibi
querantur ubi non sperant auxilium & confi-
lium, instar muliercularum. *Secundum*; incur-
runt periculum, nè superior rescians has mur-
murationes, tantò ampliùs illos premat. *Ter-
tium*; incurrunt periculum causandi aversiones
à superioribus apud alios, & faciendí divisiones à
Capite inter subditos. unde timeri potest casus
Reservatus. Ut igitur hujusmodi juventur,
hoc ut faciant, consulitur. 1. Annotare &
conscribere catalogum omnium suorum grava-
minum & difficultatum, quas hætenùs susti-
nuerunt à Superiore. in quo addant simul omnes
molestias, quas imposterum timeant, sive
verè sive in apprehensione. Hæc passus
sum: hæc patior: hæc patiar. Hac chartâ
instructi accedant liberè (si tantùm filialis animi
habent) ad Superiorem, servata debita observan-
tiâ & submissione, tam in verbis, quàm in modo
proponendi: exhibeant legenda illa gravamina:
petant

petant levamentum & solatium. & certè sentient Patrem, aut saltem Superior dabit illis causam facti sui, & umbras dispellet. 2 Si non habent tantum cordis & filialis affectus, putentque se non posse cum Superiore tam sincerè agere; accedant eum cui domesticè monere interest, exhibeant consignationem gravaminum: petant hoc mediante rem istam inter se & Superiorem componi. tunc certè aliquantulum sublevabuntur, suspensiones corrigent, seponent diffidentias & turbationes. 3 Si nec hoc medium placet; habent ad quem ultimatè recurrant, mediatum Superiorem, & comunem omnium Patrem: cui sincerè ac sine fuce, omnia sua gravamina perscribant, ut is pro Paterna sua in omnes cura, aut ipsos cum suo Capite jungat, aut ex hoc loco vel officio amoveat. Si turbatus non sit capax, ut hæc media velit adhibere, tunc *responde stulto juxta stultitiam suam*, & rem DEO committe.



Q3

CA-